An. et vol. XXXXIV 12 - 28 Aprilis 1952 (Ser. II, v. XIX) - N. 5-6

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Epistula Apostolica, p. 249 – Constitutiones Apostolicae, p. 253 – Litterae Apostolicae, p. 261 – Allocutio, p. 268 – Nuntius radiophonicus, p. 270.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: Provisio Ecclesiarum, p. 279 – *S. C. de Sacramentis*: Decreta, p. 280 – *S. C. de Propaganda Fide*: Decreta, p. 283 – *S. C. Rituum*: Decreta de miraculis pro beatificatione Servorum Dei, p. 286.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota*: Sententiae et Decreta a. 1951, p. 297. Citatio edictalis, p. 335.

Diarium Romanae Curiae: Udienze solenni – Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze – Necrologio, pp. 295 e 336.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • LII

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 1000 — extra Italiam, Lib. 2000 vel $ 5

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 80 — extra Italiam, Lib. 190 vel $ 0,30

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXIV; n. 5 – 12 Aprilis 1952)

ACTA PII PP. XII

EPISTULA APOSTOLICA

PAG.

« *Veritatem...* ». – Ad Venerabiles Fratres ac Dilectos Filios Episcopos ceterumque Clerum ac populum Romaniae pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes. – 27 Martii 1952 249

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I. DE ADDIS ABEBA. *Paterna semper.* – Novus Exarchatus Apostolicus ritus alexandrini aethiopici in Aethiopia erigitur, « de Addis Abeba » nuncupandus. – 31 Octobris 1951 . . . 253

II. SYRACUSANA ET RAGUSIENSIS. *Ex antiqua.* – Canonicorum Capitulum in Cathedrali Ecclesia Ragusiensi erigitur. – 10 Novembris 1951 . . . 256

III. SYDNEYENSIS, CAMBERRENSIS ET GULBURNENSIS (Wollongongensis). *Non parum.* – Ex territoriis ab Archidioecesi Sydneyensi et ab Archidioecesi Camberrensi et Gulburnensi disiunctis nova erigitur Dioecesis « Wollongongensis » nuncupanda. – 15 Novembris 1951 258

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Sacris Aedibus.* – Basilicae Minoris titulo condecoratur paroecialis Ecclesia B. Mariae Virgini in Caelum Assumptae sacra in civitate Illicitana intra fines Oriolensis dioecesis exstans. – 26 Maii 1951 261

II. *Gemina.* – Sancta Maria Goretti, V. et M., loci vulgo nuncupati « Masi di Larino », intra fines Tridentinae archidioecesis, Patrona caelestis constituitur. – 26 Maii 1951 262

III. *Prope oppidum.* – Beata Maria V. Basilicae Fratrum Minorum in « Castro Sancti Eliae », intra fines dioecesium Nepesinae et Sutrinae, titularis aeque principalis cum Sancto Ioseph, eius sponso, constituitur. – 9 Iunii 1951 263

IV. *Religionem.* – Beata Maria Virgo de Monte Carmelo civitatis et dioecesis Tricaricensis Patrona Caelestis aeque Principalis cum Sancto Potito declaratur. – 26 Iunii 1951 . . . 264

V. *Postquam.* – Titulus et privilegia Basilicae Minoris conferuntur collegiali paroecialique Ecclesiae, Deo in honorem B. Mariae V. in Caelum Assumptae et S. Martini, Ep. C., dicatae, in oppido « Treviglio » intra fines Mediolanensis archidioecesis exstanti. – 27 Iunii 1951 266

ALLOCUTIO

Ad novum Legatum Reipublicae « El Salvador ». – 25 Martii 1952 268

NUNTIUS RADIOPHONICUS

PAG.

De conscientia christiana in iuvenibus recte efformanda. – 23 Martii 1952 . . 270

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Provisio Ecclesiarum 279

SACRA CONGREGATIO DE SACRAMENTIS

I. Decretum. De assignandis Tribunalibus pro tractatione causarum nullitatis matrimonii insulae Terrae Novae. – 7 Augusti 1950 280

II. Decretum. De assignandis Tribunalibus pro tractatione causarum nullitatis matrimonii novae Provinciae Ecclesiasticae Sherbrookensis. – 25 Martii 1952 281

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I. Decretum. Vicariatuum Apostolicorum Zamorensis, de Mendez ac Napensis et Praefecturarum Apostolicarum de Canelos ac S. Michaëlis de Secumbios fines statuuntur. – 12 Aprilis 1951 283

II. *De Kengtung - de Toungoo.* – Dismembrationis et unionis Vicariatuum Apostolicorum. – 14 Februarii 1952 . 285

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Tarvisin.* – Decretum de miraculis pro beatificatione Ven. S. D. Mariae Bertillae Boscardin, Instituti Sororum Magistrarum a S. Dorothea, Filiarum Sacrorum Cordium. – 13 Ianuarii 1952 286

II. *Romana seu Viterbien.* – Decretum de miraculis pro beatificatione Ven. S. D. Rosae Venerini, fundatricis Magistrarum Piarum quae ab eius cognomine nuncupantur. – 13 Ianuarii 1952 288

III. *Romana seu Corduben.* – Decretum de miraculis pro beatificatione Ven. S. D. Raphaëlae Mariae a Sacro Corde Iesu, fundatricis Congregationis Ancillarum Sacratissimi Cordis Iesu. – 13 Ianuarii 1952 291

IV. *Lucen.* – Decretum de miraculis pro beatificatione Ven. S. D. Antonii Mariae Pucci, Sacerdotis professi Ordinis Servorum Mariae, Parochi S. Andreae in civitate Viareggio. – 2 Martii 1952 293

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienza solenne 295

II. Segreteria di Stato: *Nomine* . . . 295

III. Necrologio 296

(*pro Indice fasc. 6, v. pag. III*)

An. et vol. XXXXIV 12 Aprilis 1952 (Ser. II, v. XIX) – N. 5

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

EPISTULA APOSTOLICA

AD VENERABILES FRATRES AC DILECTOS FILIOS EPISCOPOS CETERUMQUE CLERUM AC POPULUM ROMANIAE PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

PIUS PP. XII

Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, salutem et Apostolicam Benedictionem. — « Veritatem... facientes in caritate »,[1] dum tristissimas consideramus condiciones, in quibus Catholica Ecclesia apud vos versatur, contineri non possumus quin et christianam vestram, qua in exemplum praestatis, fortitudinem dilaudemus, et maerenti conqueramur animo, quod sacra catholicae religionis iura imprimisque eidem debita libertas in gravissimum sint discrimen adducta. Quamobrem paterna postulat voluntas, qua omnes, quotquot habemus in Christo Fratres et filios, ac vos praesertim amplectimur, ut ea vobis impertiamur solacia, quae in praesentibus rerum angustiis possumus; ut nempe per has litteras vos quasi praesentes alloquamur, vobisque asseveremus Nos aerumnas aegritudinesque participare vestras, atque ad Deum misericordiarum Patrem Nostras pro vobis admovere preces, quibus quidem totius catholici orbis supplicationes coniunguntur.

At apostolici officii, quo tenemur, conscientia postulat ut vocem extollamus Nostram, Dei Ecclesiaeque causam defendentem; « non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate ».[2] Siquidem ea Nobis perspecta sunt, quae quantaque hactenus tolerastis mala: novi-

[1] *Eph.* 4, 15.
[2] *2 Cor.* 13, 8.

mus sacrorum Antistites nullos iam apud vos haberi, qui libere queant suas gubernare Dioeceses, suos sacerdotes moderari, suisque e laicorum ordine filiis opportuna tradere praecepta ac normas. Omnes enim fuere e suis deturbati sedibus, ac vel in carcerem detrusi, vel longe a suis relegati gregibus. Quamobrem illud, non sine lamentabili detrimento, evenit: « Percutiam pastores et dispergentur oves gregis ».[3] Exploratum praeterea habemus Orientalis Ritus Ecclesiam, quae apud vos catholicorum numero ac virtute tantopere floret, publica lege deletam considerari, eiusque sacra aedificia atque instituta ad aliud fuisse destinata, quasi id esset in eorumdem catholicorum optatis ac votis; plurimas religiosorum virorum ac mulierum sodalitates dissolutas fuisse, ac litterarum disciplinarumque scholas, in quibus adulescentes humanae christianaeque sapientiae lumine ab iisdem sodalibus collustrabantur, et ad morum integritatem virtutisque nitorem succrescebant, quasi rei publicae infensas ac perniciosas prohibitas fuisse aliisque demandatas; sacerdotes non paucos, idcirco quod suam avitam fidem arctissimamque cum hac Apostolica Sede coniunctionem retinebant, idcirco quod nullo modo volebant christianam suam relaxare constantiam, maculare conscientiam, officium prodere, vel extorres in ignotas fuisse regiones deportatos, vel ad metalla, ad labores coactos, vel denique in carcerem coniectos, ubi adhuc miseram, sed ante Dei bonorumque oculos gloriosam, traducunt vitam.

Huc accedit quod, in tanta librorum, ephemeridum ac volitantium paginarum colluvie, nulla catholicis facultas datur suam scriptis extollendi vocem; qua quidem veritas refulgeat, ac sacra Ecclesiae iura in sua luce in tutoque pro viribus reponantur.

Facile igitur ipsa Catholica Ecclesia ita describitur atque effingitur, quasi infensa sit atque inimica rei publicae. Atqui omnino patet eos, qui recte christiana praecepta sequantur et in vitae usum pro facultate deducant, nemini procul dubio cedere in patria caritate, nemini in civili observanda potestate in editisque normis obtemperando, modo ne eaedem aliquid imperent, quod naturalibus, divinis, ecclesiasticisve legibus repugnet. Quod igitur vos, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, insectationibus, omneque genus aerumnis idcirco vexamini, quia catholicam vestris animis inditam tuemini fidem, id quidem non dedecori, sed honori, non infamiae, sed gloriae vertitur. Vos videmini Nobis, videmini cordatis omnibus, quotquot possunt veritatem cognoscere, ac libere suam proferre vocem, quasi primaevae Ecclesiae renovare fastos; atque adeo Nos, qui paternum erga gentem vestram gerimus animum, quique eos

[3] Matth. 26, 31; cfr. *Zach.* 13, 7.

peculiarissima caritate adamamus, qui « persecutionem patiuntur propter iustitiam »,[4] eorum vincula deosculari cupimus, qui in carceribus iniuste detenti, pro avita religione lacessita, pro sacris labefactatis institutis, pro aeterna suorum populorum salute in discrimen adducta, lacrimant atque elanguescunt, magis quam pro privatis cuiusque suis cruciatibus deperditaque libertate. Oculos, animos, fiduciamque vestram ad Caelum convertite; reminiscamini, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, praemium inibi vobis reservari, beatitudinis nempe fulgorem, qui nescit occasum; reminiscamini catholicos omnes una Nobiscum, communi Patre, ubique terrarum incensas ad Deum admovere preces, ut ipse benignus tot dolorum angustiarumque finem maturet; ac pacem animis, pacem populis, pacem Nationibus omnibus concedat; illam dicimus pacem, quae sanctissima religionis iura in tuto ponat, quae privatae uniuscuiusque conscientiae dignitatem libertatemque tueatur, quae gentes omnes, nulla habita iniusta disparitate, inter se amico foedere coniungat. Hanc Nos pacem cupimus, ac iam diu loquendo, suadendo operandoque commendavimus; non eam autem, qua Ecclesia in servitutem redigatur, cum probe noscamus, oppressa, vel sublata religione, ipsa rei publicae labare fundamenta neque posse cives prosperitatem felicitatemque veri nominis assequi.

Iam in patriae vestrae annalibus praeclara enitent christianae fidei, constantiae, fortitudinisque exempla. Antiquissima siquidem aetate, ut memoriae traditum est « cum Durostori, tum Axiopoli ac Tomis martyres habentur, qui sanguinem pro Christi nomine profuderunt. Et quamvis praeter martyrium ab iisdem factum, nihil aliud de eorum vita dignoscamus, id tamen, cum sine dubio constet, satis profecto loquitur ».[5] Horum martyrum vos quodammodo filii estis; atque adeo « fratres mei dilecti, stabiles estote et immobiles; abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino ».[6]

Ac quemadmodum sacro martyrum cruore iam terra vestra purpurata fuit, ita apostolico sudore irrorata. In iis autem, qui nullis parcentes laboribus christianum nomen atque humanae divinaeque sapientiae cultum apud vos invexere, peculiari luce renidet S. Niceta, Episcopus Remesianensis, qui, quarto exeunte saeculo atque ineunte quinto, indefatigabilis exstitit istius populi apostolus. Per eum didicere maiores vestri « resonare Christum corde Romano, placidamque casti vivere pa-

[4] MATTH. 5, 10.
[5] *A. A. S.* 1937, p. 421.
[6] *1 Cor.* 15, 58.

cem ».[7] Is praeterea non modo patres vestros Evangelii praeceptis christianaque virtute excoluit, sed posteris etiam eximiae doctrinae suae documenta reliquit, quandoquidem « composuit simplici et nitido sermone » haud mediocris ponderis scripta.[8]

Quodsi decursu temporis, ob gravissima rerum adiuncta, gentis vestrae aditus ad hanc Apostolicam Sedem paene interclusus fuit, numquam tamen est catholica fides apud vos restincta; quin immo vixdum potuit, iterum revirescere coepit, quasi antiquissimae aetatis voci fideliter respondens. Ad vos hodie pertinet, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, hanc eamdem auscultare vocem, haec eadem imitari exempla. Difficultates, impedimenta, discrimina procul dubio vobis non deerunt; at neque defuere maioribus vestris, qui eadem forti animo superarunt.

Pergite igitur, ut facitis, invicta animi firmitate insectationes, angores, aerumnas tolerare; pergite exsilium, carcerem rerumque omnium iacturam pati, potius quam vestram eiurare fidem, arctissimamque cum hac Apostolorum Principis Sede dirumpere, vel relaxare coniunctionem. Ac pro certo habeatis divinae opis auxilium, supplicibus imploratum precibus, numquam esse vobis defuturum.

Fore confidimus, ut haec hortamenta Nostra, haec flagrantissimae caritatis Nostrae testimonia ad notitiam vestram pervenire queant, ex iisdemque omnes salutiferam vim supernumque sumatis solacium; ita quidem ut ea, qua soletis, indomita fortitudine praestare atque enitere contendatis. Ut facile cernere est, Dei, Ecclesiae animarumque causa agitur; numquam igitur animo concidendum est; numquam ea, quae christiana conscientia imperat, quae divina praecepta iubent, neglegenda vel praetermittenda sunt, sed constantia summa alacritateque indefatigabili, nullo non tempore sunt incolumia servanda, ac pro viribus ad effectum deducenda. Aderunt profecto vobis praesentissima tutela ac patrocinio validissimo ii Sancti Caelites, quibus gloriatur Patria vestra; aderit imprimis a Caelo Deipara Virgo Maria, quam vos incensa pietate colitis, quaeque vobis filiis suis, tam in gravi discrimine positis, ea ab Unigena suo superna impetrabit munera, quibus tantopere indigetis; aderunt denique, una cum Nostris, catholici orbis preces, quae, sacra quasi contentione facta, id a misericordiarum Patre implorabunt, quod Nobis, quod vobis, quod bonis omnibus in votis est: liberam nempe ac plenam facultatem privatim, publice vestram profitendi religionem, eiusque instituta, normas ac praecepta sarta tectaque servandi.

[7] S. Paulin. Nol. carmen XVII; Migne, *P. L.* 61, 488-489.

[8] Cfr. Gennadius, *De viris illus.* c. 22; Migne, *P. L.* 58, 1073.

Conciliet id vobis, caelestium gratiarum auspex paternaeque voluntatis Nostrae testis, Apostolica Benedictio, quam vobis singulis universis, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXVII mensis Martii, anno MDCCCCLII, Pontificatus Nostri quarto decimo.

PIUS PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DE ADDIS ABEBA

NOVUS EXARCHATUS APOSTOLICUS RITUS ALEXANDRINI AETHIOPICI IN AETHIOPIA ERIGITUR, « DE ADDIS ABEBA » NUNCUPANDUS.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Paterna semper benevolentia Romani Pontifices sunt Orientales Ecclesias prosecuti, in quibus Aethiopica Alexandrini ritus adnumeranda est, quae saeculo tertio abeunte exorta traditur. Eo enim tempore Aethiopes christianam religionem amplexati sunt, quam postea fideliter servaverunt, quamvis annorum decursu, eorum patria ab ethnicis et mahomedanis undique circumdata et a ceteris christianis populis pene abscissa, commercium, nisi raro, cum Apostolica Sede habere potuissent. Decessores tamen Nostri, cogitationes suas ad dissita illa territoria convertentes, non omiserunt, quum id fieri potuit, Evangelii praecones in Erithraeam et Aethiopiam mittere, qui illuc Christi regnum in dies magis dilatarent et schismaticos, regiones illas incolentes, ad unitatem cum Petri Sede revocarent. In quibus Evangelii praeconibus duo praecipue memoratu digni sunt, praeclarissimus nempe Beatus Justinus De Jacobis, e Congregatione Missionis, et Gulielmus Massaia, ex Ordine Fratrum Minorum Capulatorum, romana purpura postea donatus. Quorum vestigiis inhaerentes non pauci deinde Missionales viri in Aethiopiam una cum catholica religione civilem cultum inducere studuerunt. Nos vero, de territoriis illis cogitationes suscipientes, anno exeunte millesimo nongentesimo quadragesimo secundo, bello per universum fere orbem terrarum saeviente, christifideles Aethiopes iuri venerabilis Fratris

Chidanè Maryam Cassà, Episcopi titulo Thibaritani et Ordinarii pro catholicis Alexandrini ritus in Erithraea degentibus, obnoxios fecimus. Superiore autem anno pro omnibus Aethiopibus christifidelibus Alexandrini ritus dilectum Filium Hailè Maryam Cahsay, Administratorem Apostolicum ad nutum Sanctae Sedis elegimus. Nunc demun Exarchatum Apostolicum in Aethiopia erigere statuimus. Collatis igitur consiliis cum venerabili Fratre Nostro S. R. E. Cardinale S. Congregationis pro Ecclesia Orientali a Secretis, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant, consensu, omnibus mature perpensis, certa scientia ac suprema auctoritate Nostra, novum in Aethiopia Exarchatum Apostolicum erigimus et constituimus, « de Addis Abeba » nuncupandum. Novi huius Exarchatus fines iidem erunt qui civiles fines Aethiopici Imperii. Eius vero sedem in *Addis Abeba* urbe, ex qua ipse nomen mutuatur, statuimus, et templum quod cathedralis loco hucusque Vicariatui Apostolico Latinorum erat, deinceps erit novo Exarchatui ritus Alexandrini Aethiopici Cathedralis loco; cui propterea omnia attribuimus iura, privilegia, honores ac praerogativas, quibus cetera cathedralia templa fruuntur, dummodo iuxta probatum ritum et disciplinam exerceantur. Item Exarchatus pro tempore Praesulibus omnia concedimus iura, insignia et privilegia quae ceteris Exarchis orientalis ritus in catholico orbe sunt propria, eosque omnibus astringimus oneribus et obligationibus quibus ceteri, iuxta sacros canones et peculiarem Ecclesiae Aethiopici Alexandrini ritus disciplinam, astringuntur. Ut autem Exarchi intra sui Exarchatus fines non iurisdictionis tantum, sed ordinis quoque munera obire valeant, veluti Episcopi in suis dioecesibus, charactere episcopali iidem insigniendi erunt; eisque propterea erit aliqua ex titularibus Ecclesiis ab Apostolica Sede assignanda. Novum hunc Exarchatum de Addis Abeba Nobis et Apostolicae Sedi immediate subiectum volumus. Decernimus insuper ut Exarchus eligendos curet sex aut saltem quatuor Consultores, sacerdotes pietate, prudentia ac doctrina commendatos, in Ordinarii sede vel vicinioribus locis commorantes, qui sibi consilio et opera in Exarchatus regimine et administratione praesto sint, sibique, pontificalia sacra celebranti, adsint. Exarchatus mensa, donec stabiles habeantur reditus, constituatur tributis ad instar cathedratici, quae Ordinarius, suis auditis Consultoribus, aeque statuet, a singulis paroeciis et communitatibus solvenda, atque collationibus fidelium, in quorum bonum Exarchatus ipse erectus est. Optamus insuper ut, quoad Seminarium pro omnibus Aethiopicis clericis in spem Ecclesiae instituendis erigi poterit, Exarchi cura parvum saltem Seminarium in novo Exarchatu, quam primum

fas erit, instituatur. De ceteris autem omnibus, utpote de clericorum et fidelium iuribus et oneribus, de controversiis, si quae oriantur, inter Exarchum et clericos et fideles Latini ritus, de Aethiopico Alexandrino ritu in sacris caeremoniis adhibendo, adamussim servanda iubemus quae sacri Canones et normae ab Apostolica Sede iam statutae praescribunt.

Ad quae omnia, uti supra disposita et constituta, exsecutioni mandanda dilectum Filium Theodorum Monnens, Apostolicae Sedis in Aethiopia peculiarem Legatum, deligimus eique omnes et singulas attribuimus facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus facimus authenticum peractae exsecutionis actorum exemplum ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali quamprimum transmittendi. Praesentes autem Litteras validas et efficaces esse et fore suosque plenos et integros effectus obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id prorsus irritum et inane esse et fore volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus, quibus omnibus derogamus. Harum vero Litterarum transumptis, vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eandem volumus haberi fidem quae hisce ipsis Litteris haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam erectionis, constitutionis, concessionis, delegationis, derogationis, mandati ac voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum ex Arce Gandulphi, prope Roman, die tricesimo primo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
E. Card. TISSERANT

Pro S. R. E. Card. S. C. pro Eccl. Orient. a Secretis
CLEMENS Card. MICARA

A. Carinci, Archiep. tit. Seleuc., *Decanus Proton. Apost.*
Iosephus Caprio, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXII, n. 69.

II

SYRACUSANA ET RAGUSIENSIS

CANONICORUM CAPITULUM IN CATHEDRALI ECCLESIA RAGUSIENSI ERIGITUR

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ex antiqua Ecclesiae disciplina in metropolitanis praesertim et cathedralibus templis Canonicorum Collegia iuxta Codicis Iuris Canonici normas constituenda sunt, ad hoc potissimum ut Sacrorum Antistitum senatum, clericorum nempe coetum efficiant, qui et sollemniorem in templis cultum Deo exhibeant et Episcopis vel consilium poscentibus vel pontificalibus ritibus operantibus praesto sint, eorumque vices in Dioecesis regimine, sede vacante, gerant. Ad unam autem Apostolicam Sedem spectat collegia illa erigere et constituere. Quocirca Apostolicis sub plumbo Litteris *Ad dominicum gregem* die sexto mensis Maii superiore anno datis, quibus nova Dioecesis Ragusiensis erecta fuit et Archidioecesi Syracusanae aeque principaliter unita, praeter alia statuebatur quam primum in hac nova Dioecesi Capitulum Cathedrale Ragusiae esse erigendum. Cum itaque venerabilis Frater Hector Baranzini, Archiepiscopus Syracusanus et Episcopus Ragusiensis, quod modo diximus praeceptum exsequendi causa, nuper a Nobis postulavisset Capitulum in cathedrali templo S. Ioannis Baptistae Ragusiae erigi, Nos, probe noscentes id non parum profuturum ad divini cultus splendorem augendum et ad fidelium utilitatem, admotis precibus annuendum censuimus. Collatis igitur consiliis cum venerabili Fratre Nostro S. R. E. Cardinali S. Congregationis Consistorialis a Secretis, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel eorum qui sua interesse praesumant, consensu, omnibus mature perpensis, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, Capitulum Cathedrale in templo S. Ioannis Baptistae Ragusiae erigimus, quatuor constans dignitatibus, Archidiacono nempe, Decano,

Cantore ac Thesaurario, octo Canonicis, quorum alter officium Theologi, alter officium Poenitentiarii aget, atque insuper sex beneficiariis inferioris gradus seu mansionariis. Dignitatum assignatio ad Apostolicam Sedem tantum ad iuris tramitem spectabit, Canonicatuum vero et Mansionariatuum ad Episcopum, servatis de iure servandis et audito ipso Capitulo Cathedrali Ragusiensi, dummodo beneficii assignatio qualibet de causa ad Apostolicam Sedem illa vice non spectet. Cum porro deceat ut qui in Episcopi consilium ac senatum asciscuntur aliquibus decorentur insignibus, quibus a cetero Dioecesis clero differant, statuimus ut, intra fines dumtaxat dioecesis Ragusiensis et in sacris caerimoniis capitularibus, Dignitates et Canonici induant rochetum et palliolum (vulgo *mozeta*) cum caputio violacei coloris, mansionarii autem cottam et mozetam violaceam sine caputio, servatis de iure servandis. Volumus denique ut quamprimum capitulares constitutiones ad iuris normam et iuxta quae hisce a Nobis statuta sunt conficiantur, et, postquam ab Episcopo fuerint approbatae, ab omnibus Capitularibus religiose colantur. Quoad vero cetera omnia quae Capitulares attinent, officia scilicet, chorale servitium, munera ac privilegia, adamussim iuris communis praescripta serventur. Ad quae omnia uti supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem, quem supra memoravimus Fratrem Archiepiscopum Syracusanum et Episcopum Ragusiensem deligimus necessarias et opportunas ad hoc eidem tribuentes facultates, etiam subdelegandi ad effectum, de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, facto eidem onere ad S. Congregationem Consistorialem authenticum peractae exsecutionis actorum exemplum quam primum transmittendi. Praesentes autem Litteras firmas, validas et efficaces exsistere et fore suosque plenos et integros effectus obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quovis, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id prorsus irritum et inane esse ac fore volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus, quibus omnibus derogamus. Harum vero Litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce ipsis Litteris haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam erectionis, constitutionis, concessionis, statuti, mandati, commissionis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omni-

potentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum ex Arce Gandulphi prope Romam, die decimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, Pontificatus Nostri decimo tertio.

Pro S. R. E. Cancellario
E. Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis

Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*
Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXII, n. 73.

III

SYDNEYENSIS, CAMBERRENSIS ET GULBURNENSIS (WOLLONGONGENSIS)

EX TERRITORIIS AB ARCHIDIOECESI SYDNEYENSI ET AB ARCHIDIOECESI CAMBERRENSI ET GULBURNENSI DISIUNCTIS NOVA ERIGITUR DIOECESIS « WOLLONGONGENSIS » NUNCUPANDA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Non parum sane ad religiosam christifidelium utilitatem conducere opinamur apta dioecesium circumscriptio, quippe qua iidem possint a sacris Pastoribus rectius atque commodius, ad christianas res quod attinet, administrari. Quam ob rem libenter admittendas preces duximus, quas communiter dilectus Filius Noster S. R. E. Cardinalis Normannus Thomas Gilroy, Archiepiscopus Sydneyensis, et venerabilis Frater Terentius Bernardus McGuire, Archiepiscopus Camberrensis et Gulburnensis, Nobis admoverunt, ut certa territoria a suis cuiusque ditionimus distrahentes novam conderemus dioecesim. Quapropter de consilio venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Fidei Propagandae praepositorum, Nos, suppleto, quatenus opus sit, aliorum quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant, consensu, omnibus considerate perpensis, certa scientia deque Nostrae potestatis plenitudine ex orientalibus partibus sive Archidioecesis Sydneyensis sive Archidioecesis Camberrensis et Gulburnensis territoria distrahimus, quibus novam efformamus et erigimus Dioecesim Wollongon-

gensem nuncupandam. Quae quidem dioecesis ab archidioecesibus, quas diximus, ea quae infra distincte designantur, terminali linea seiungitur. Ea vero linea recto a septentrionibus loci Carie Beach fertur usque ad Eckersley, et cursum fluminum Woronora et Iluka sequens, viam tangit, quae est inter Bulli et Appin. Exinde decurrens usque ad Cordeaux Dam et ad Broughton Pass, procedit ad pontem viae ferreae, qui est super flumen Nepean, intra Menangle et North Menangle, cursum sequens fluminum Cataract et Nepean. Ex quo ponte linea procedit usque ad montem Razorback et Burragorang, et deinde usque ad locum quo in unum confluunt flumina Guineacor et Wollondilly. Huius vero postremi fluminis aliorumque postea fluminum Poddy et Urangalla, Barber, Shoalhaven et Corang sequens cursum, montes pertingit Budawang, unde secundum eosdem montes, ad locum fertur quo flumina in unum confluunt Deua et Araluen. Deinde eadem linea flumen Deua sequens, attingit Great Dividing Range, hoc est Montes Magnos Dividentes, ad usque montem Badja, unde procedit secundum limites meridionales territorii Eurobodalla Shire super flumen Tuross. Hinc fluminis eiusdem cursum sequens usque ad locum quo illud cum flumine Wadbilliga confluit, recta ad Corunna Lake pervenit. Quibus finibus circumscriptam Dioecesim Wollongongensem, metropolitanae Ecclesiae Sydneyensi suffraganeam constituimus, eiusque propterea « pro tempore » Episcopos metropolitico iuri Sydneyensis Archiepiscopi obnoxios facimus. Episcopi vero sedem in urbe Wollongong statuimus, quam idcirco urbis episcopalis honore decoramus, eidem iura et privilegia tribuentes quae sunt huiusmodi urbium propria. Eiusdem autem Episcopi cathedram in sacra curiali aede collocamus Deo in honorem S. Francisci Xaverii eadem in urbe dicata, quam ob id cathedralis templi dignitate ornamus, atque omnibus cumulamus iuribus, insignibus, privilegiis, honoribus, favoribus et gratiis, quibus cetera cathedralia templa iure communi fruuntur. Pariter Wollongongensibus pro tempore Episcopis hinc iura, honores et privilegia hinc obligationes et onera decernimus, quibus ceteri eiusdem dignitatis Praesules vel distinguuntur vel tenentur. Volumus porro ut donec Canonicorum Capitulum Cathedrale constitui poterit, ad iuris tramitem dioecesani consultores interim eligantur et adhibeantur. Quod vero spectat ad novae huius dioecesis administrationem, praecipimus ut quamprimum Seminarium saltem parvum condatur, iuxta normas a Sacro Consilio Fidei Propagandae latas, ut in eo adolescentes in spem Ecclesiae instituantur. Episcopalis deinde mensa Curiae emolumentis constabit fidelium et oblationibus, in quorum utilitatem dioecesis erecta est. Ad dioecesis autem regimen quod attinet, ad Vicarii Capitularis vel Administratoris Apostolici, sede va-

cante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque id genus, servari iubemus ea omnia quae sacri canones praescribunt. De clericis peculiariter statuimus, ut, simul ac hae Litterae Nostrae ad effectum adductae erunt, eo ipso Ecclesiae illi censeantur ascripti, in cuius territorio legitime degunt. Volumus denique ut documenta et acta omnia, quae novam dioecesim, eiusque clericos et fideles respiciunt, quamprimum a Cancellariis Sydneyensi atque Camberrensi et Gulburnensi ad Wollongongensem Curiam transmittantur, in eiusque tabulario asserventur.

Quae omnia, uti supra disposita et constituta, ad exsecutionem mandabit venerabilis Frater Paulus Marella, Archiepiscopus titulo Docleensis, in Australia Delegatus Apostolicus, vel is qui exsecutionis tempore Delegationi illi praeerit, cui propterea necessarias et opportunas tribuimus facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, atque onus iniungimus fide dignum exemplum actorum peractae exsecutionis ad S. Congregationem Fidei Propagandae transmittendi. Has autem Litteras firmas, validas et efficaces exsistere et fore suosque plenos et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id prorsus irritum et inane esse et fore volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus, quibus omnibus derogamus. Harum autem Litterarum exemplis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis sigilloque viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce iisdem haberetur ostensis. Nemini vero hanc paginam divisionis, erectionis, constitutionis, commissionis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis autem id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum ex Arce Gandulphi, prope Romam, die quinto decimo mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
E. Card TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXII, n. 83.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

BASILICAE MINORIS TITULO CONDECORATUR PAROECIALIS ECCLESIA B. MARIAE VIRGINI IN CAELUM ASSUMPTAE SACRA IN CIVITATE ILLICITANA INTRA FINES ORIOLENSIS DIOECESIS EXSTANS.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. -- Sacris Aedibus, quae ob amplitudinem, decus et celebritatem probantur in vulgus, Romani Pontifices e translaticio more peculiarem solent adiungere honorem. Atque exstat in Oriolensi dioecesi praeclarum Templum curiale, Almae Deiparae in caelum Assumptae sacrum, quo civitas Illicitana non mediocriter nobilitatur. Quod religionis domicilium iuxta Hispani generis « Baroci » instituta, anno MDCLXXIII, eleganti manu coeptum est exstrui, sed non fuit absolutum nisi saeculo amplius post. Sunt ibi in magna admiratione frons, columnis distincta, fornices excelsi, tholus amplo aedificio impositus, altare maximum opere musivo et caelaturis exornatum. In interiore cella conspicitur Simulacrum Beatae Mariae Virginis caelo receptae, quod ad artis rationem egregie est effictum et a piorum turmis praecipue excolitur. Haec autem Aedes, cum non ante multum tempus Hispania civili arderet bello, impie est combusta et pessum data, sed, pace composita, in pristinum splendorem fuit restituta vel etiam in melius reparata. Ceterum cultus Dei Genetricis, corpore et anima ad caelestem gloriam evectae, in Illicitanorum animis iam dudum ita insedit ut voti sponsione in singulos tres annos se obligarent veritatem Assumptionis Beatae Mariae Virginis propugnandi, quam nuper certo oraculo sollemniter Nos definivimus. Vota igitur depromens senatus populique civitatis, quam diximus, Venerabilis Frater Iosephus García y Goldáraz, Episcopus Oriolensis, preces ad Nos admovit ut Templum, tot laudibus ornatum, Basilicae Minoris nomine ac iure donaremus. Quibus libenter admissis auditoque Venerabili Fratre Nostro Clemente, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum curialem Aedem, Beatae Mariae Virgini in caelum Assumptae sacram et in civitate Illicitana, intra fines Oriolensis dioeceseos, exstantem, ad dignitatem et honorem *Basilicae*

Minoris evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae eidem titulo rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus decernentes praesentes Litteras firmas, validas, atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVI mensis Maii anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

II

SANCTA MARIA GORETTI, V. ET M., LOCI VULGO NUNCUPATI « MASI DI LARINO », INTRA FINES TRIDENTINAE ARCHIDIOECESIS, PATRONA CAELESTIS CONSTITUITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Gemina corona martyrii et virginitatis redimitam, Sanctam Mariam Goretti incolae loci vulgo nuncupati « Masi di Larino », intra fines Tridentinae Archidioeceseos, excolunt praecipue, adeo ut communi consensu exoptent tam lectae et inviolatae puellae singulari uti praesidio. Quae vota, a pagi curione deprompta atque Venerabilis Fratris Caroli De Ferrari, Tridentini Archiepiscopi, ampla commendatione suffulta, libenter statuimus explere ea quidem mente ut Christifideles, quos diximus, in Martyris invictae et castitatis honore florentis tutelam commissi, virtutes colerent deditiore opera et, in primis iuvenes, ad morum integritatem servandam magis provocarentur. Quamobrem, audito Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefecto, omnibusque rei momentis perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum San-

ctam Mariam Goretti, Virginem et Martyrem, pagi cui appellatio « Masi di Larino », intra Tridentinae Archidioeceseos fines, Praecipuam apud Deum *Caelestem Patronam* constituimus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis quae principalibus locorum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVI mensis Maii, anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis.

III

BEATA MARIA V. BASILICAE FRATRUM MINORUM IN « CASTRO SANCTI ELIAE », INTRA FINES DIOECESIUM NEPESINAE ET SUTRINAE, TITULARIS AEQUE PRINCIPALIS CUM SANCTO IOSEPH, EIUS SPONSO, CONSTITUITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Prope oppidum « Castrum Sancti Eliae », intra dioecesium Nepesinae et Sutrinae fines, praeclara exstat Aedes « Beatae Mariae ad Rupes », Sodalibus Franciscalibus provinciae Saxoniae concredita. Quae cum turmas Christifidelium religionis causa accedentium capere non posset, alterum templum, Sancto Ioseph, Virginis Deiparae Sponso sacrum, atque continens coenobio, anno MCMX, exstructum fuit, quod Pius Pp. X, Decessor Noster, paucos ante dies in Beatorum Caelitum fastos relatus, Basilicae Minoris nomine ac iure donavit. Cum vero, ex eiusdem Summi Pontificis decreto ambae Aedes, in Sedis Apostolicae dicionem receptae, unum quasi corpus legitime efficiant, preces ad Nos delatae sunt ut Beatam Mariam Virginem Titu-

larem aeque principalem cum Sancto Ioseph Basilicae, quam diximus, renuntiare dignaremur. Quibus libenti animo auditis collatisque consiliis cum Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefecto, omnibusque attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem Titularem aeque principalem cum Sancto Ioseph, eius Sponso, Basilicae Fratrum Minorum, in « Castro Sancti Eliae », intra fines dioecesium Nepesinae et Sutrinae positae, eligimus facimus ac declaramus, omnibus adiectis iuribus et privilegiis liturgicis, Ecclesiarum Titularibus rite competentibus. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IX mensis Iunii, anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

IV

BEATA MARIA VIRGO DE MONTE CARMELO CIVITATIS ET DIOECESIS TRICARICENSIS PATRONA CAELESTIS AEQUE PRINCIPALIS CUM SANCTO POTITO DECLARATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Religionem Beatae Mariae Virginis Carmelitidis in animis Christifidelium dioecesis Tricaricensis altius accepimus insedisse, praesertim postquam Eius imago, inter populi gestientis vota, anno MCMXXXVIII aureo diademate sit redimita. Qui cul-

tus tanta sumpsit incrementa ut eius regionis incolae Almam Deiparam, decorem Carmeli, caelestem sibi Compatronam adoptarent; quod ut Nostra auctoritate firmaretur, Venerabilis Frater Raphaël delle Nocche, eiusdem loci Antistes, nomine cleri omniumque suae curae commissorum, impensas Nobis adhibuit preces. Nos autem, minime dubitantes quin cives Tricaricenses ex hac sollemni pronuntiatione essent fructum amplissimum consecuturi, supplicationibus eiusmodi libenti animo statuimus obsecundare. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefecto, omnibusque attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem de Monte Carmelo civitatis ac dioecesis Tricaricensis caelestem apud Deum *Patronam* aeque principalem cum Sancto Potito confirmamus seu constituimus ac declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis quae praecipuis dioeceseon Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVI mensis Iunii, anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

V

TITULUS ET PRIVILEGIA BASILICAE MINORIS CONFERUNTUR COLLEGIALI PAROECIALIQUE ECCLESIAE, DEO IN HONOREM B. MARIAE V. IN CAELUM ASSUMPTAE ET S. MARTINI, EP. C., DICATAE, IN OPPIDO « TREVIGLIO » INTRA FINES MEDIOLANENSIS ARCHIDIOECESIS EXSTANTI.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Postquam certam veritatem pronuntiavimus Beatam Mariam Virginem corpore et anima Caelo esse receptam, templa, eiusdem honori sacra, insigniora evaserunt ad memoriam. In quibus haud perperam habemus paroecialem ecclesiam oppidi quod, Trivilium nuncupatum, in curiis Archidioecesis Mediolanensis locum obtinet potiorem quendam. Quae quidem aedes ab antiqua repetitur aetate, cum iam saeculo septimo vergente ut Almae Deiparae ad caelestem gloriam assumptae consecrata memoretur, quemadmodum e vetustatis eruitur monumentis. Anno autem MVIII, superiori titulo additum fuit nomen Sancti Martini, ita ut templum exinde gemino obtegeretur praesidio superno. Cum vero, civium numero crescente, id multitudinem capere non posset, ingenti molitione peracta, anno MCMLXXXI, nova ecclesia eodem in loco est exaedificata eo structurae genere quod « Barocum » audit. Aula, in tres partes divisa, cultu eximio renidet; probant potissimum maximum altare, cui imposita est aedicula sex columnis suffulta, atque tabulas, ad artis rationem depictas et in utroque latere cellae positas, quibus egregie est coloribus expressus Dominus ad supremam accumbens Coenam ac manna cadens in deserta regione; in interiori apside Dei Genetrix in Caelum assumpta et Sanctus Martinus in luculenta imagine cernuntur; scamna chori, quandoquidem templum etiam collegiale est, opere vermiculato sunt illustria atque sex arae minores, secundum parietes locatae, tabularum pulchritudine spectabiles habentur. Organum quoque musicum et frons maiestati ecclesiae apprime respondent, quin sacra turris in primis Insubris regionis numeratur. In maxima vero admiratione est contextus quidam decem picturarum, quibus non nullius nominis artifices Bernardus Zenale et Bernardinus Buttinone Sanctum Martinum aliosque Caelites praestantissimos effinxerunt. Ceterum complures sacerdotes ad res divinas alacres ibi incumbunt, quarum populus perfrequens partem capere consuevit, ac templum sacra supellectile Sanctorumque reliquiis ita affluit ut,

quod ad domus Dei decorem, nihil desiderari videatur. Ut igitur ecclesiae, tot laudibus ornatae, etiam Pontificium accederet honestamentum, eiusdem loci Praepositus, vota depromens cleri et Christifidelium, submissis precibus Nos oravit ut eam Basilicae Minoris nomine ac iure donaremus. Quae vota, Dilecti Filii Nostri Ildefonsi Alafridi Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis Schuster, Archiepiscopi Mediolanensis, ampla commendatione firmata, libenti animo statuimus explere. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, collegialem paroecialemque ecclesiam Deo in honorem Beatae Mariae Virginis in Caelum assumptae et Sancti Martini, Episcopi et Confessoris, consecratam, atque in oppido Trivilio, intra fines Archidioeceseos Mediolanensis exstantem, ad dignitatem et honorem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae eidem titulo rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari, sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Iunii, anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

ALLOCUTIO

*Ad Exc̃mum Virum Héctorem Escobar Serrano, Oratorem extra ordinem liberis cum mandatis Reipublicae « El Salvador », Summo Pontifici Litteras publicas porrigentem.**

Señor Embajador:

Con la más viva satisfacción hemos oído de los labios del nuevo Representante de la República del Salvador, que la elevación al rango de Embajada de la misión ya existente, tiene su punto de arranque y su razón de ser en la voluntad decidida de un pueblo, casi integralmente católico, que desea así poner de manifiesto la profunda veneración y la filial devoción que profesa a esta Sede Apostólica, reconocida por él como aquella institución singular, obra de la mano del Señor, cuyo destino es facilitar a la entera humanidad la consecución de sus más altos fines; institución que « en estos momentos de turbación en el mundo — como ha dicho Vuestra Excelencia con frase tan veraz como exacta — representa una luminosa senda de paz y de concordia ».

Semejante actitud concuerda con la calidad que corresponde al digno Representante de una nación, que lleva en su nombre la más alta evocación religiosa, y en su historia la huella indeleble del más arraigado catolicismo; pues — si queremos dejar a un lado los tiempos seminebulosos del mítico Votán o los prehistóricos del heroico Quezalcohualt, — nadie puede ignorar que vuestras crónicas se abren con aquel Pedro de Alvarado, que en 1524 ponía sus conquistas bajo la protección de la Santísima Trinidad y en 1528 daba el nombre de San Salvador a vuestra capital, y entran en los tiempos actuales con una lista de próceres, Padres de la patria, en la que no pueden omitirse los apellidos de los presbíteros Delgado (aunque faltó a la debida obediencia al Vicario de Cristo), Rodríguez, Aguilar y Arce.

Era, pues, solamente una consecuencia la adhesión franca y clara del pueblo del Salvador a una misión, que es fundamental en la Iglesia de Jesucristo y a cuyo ejercicio y éxito habría de permanecer inquebrantablemente fiel — y de hecho permanecería — su Cabeza visible, aunque todos los demás — hombres o instituciones — vacilasen en sus propósitos de paz o hasta se olvidasen de ellos. Pero es menester confesar que este acuerdo adquiere un significado especial en los momentos presentes,

* Habita die 25 Martii mensis a. 1952.

cuando el desarrollo de los acontecimientos y el curso de las conversaciones mundiales muestra encaminarse cada vez más hacia nuevas discordias y más funestas tensiones; y da al mismo tiempo a su primera intervención oficial en este centro de la Cristiandad un profundo contenido moral, que cordialmente agradecemos al Señor Presidente de la República, cuya confianza le ha enviado ante Nós, a todo el amado pueblo salvadoreño y, de modo especial, a Vuestra Excelencia, que con tanta dignidad se ha hecho intérprete de tan exquisitos sentimientos.

Vuestra Excelencia, recordando las palabras, a Nós no desconocidas, del Mensaje inaugural de su Jefe de Estado, ha manifestado su deseo de que la meta última de las concordes y fecundas relaciones entre la Iglesia y el Estado en su país esté colocada en la extensión, a todas las categorías de su buen pueblo, de un alto nivel intelectual y moral, expresando al mismo tiempo la confianza de poder contar, para este fin, con Nuestro benévolo apoyo. Rebosando de alegría y de esperanza Nuestro corazón de Padre, así se lo garantizamos, rogándole que quiera servirse de él en forma amplia y constante.

Si, con una mirada retrospectiva que abrace los últimos tiempos, queremos considerar la vida de su país, sin por eso apartar los ojos, con cuidado y vigilancia, de los tiempos presentes, podríase fácilmente predecir que, mediante una inteligencia recíproca y serena, sostenida por la pureza de intención y el deseo verdadero de acertar, no dejarán de encontrarse ocasiones en que al pueblo fiel del Salvador, en todas sus clases, se le pueda demonstrar la comprensión efectiva, por parte de su Gobierno, de todo lo que se refiere a la consecución de sus más legítimas aspiraciones religiosas y culturales.

En cuanto a la Iglesia toca, el desarrollo de la situación constitucional y legislativa no se ha realizado siempre en su patria — como en otras naciones — de acuerdo con los principios y los criterios, que parecían exigir los sentimientos religiosos del pueblo y los inderogables postulados de un bien común rectamente entendido.

Bajo el pernicioso influjo de ciertas ideas cuya futilidad es cada día más evidente, vinieron a sucederse en vuestra nación, tras algunas ordenaciones bien orientadas, retrocesos y roces, de cuyos efectos sufre hoy todavía sensiblemente una buena parte de su pueblo.

Como quiera que ello sea, Nós comprendemos bien que siempre es más fácil constatar la existencia de tales deficiencias, que superarlas con serenidad y prudencia, encaminándose por una ruta nueva y benéfica. Pero es igualmente cosa cierta que todo Gobierno dispuesto a deducir las oportunas enseñanzas de las experiencias del pasado y a tener en cuenta

las legítimas aspiraciones de la inmensa mayoría de la población, encuentra siempre, precisamente en la conjugación de estos mismos elementos, el modo seguro de, por lo menos, comenzar el trabajo de corrección e iniciar la ejecución del programa ansiado, cuyos saludables efectos enseguida se harán notar con frutos permanentes.

El Salvador, Señor Embajador, no puede dejar de tener en cuenta la posición destacada y transcendental que su situación y sus características geográficas le conceden. Podrían parecer a algunos un país pequeño; pero en cambio todos están de acuerdo en reconocerle una notable y fuerte singularidad en esa especie de fervor de vida que denotan su alta densidad de población, el carácter industrioso de sus hijos y lo quebrado y vario de su suelo — por eso mismo más pintoresco, más atrayente y más rico —; sin olvidar la belleza inconfundible de sus valles abiertos al mar, desde cuyas cabeceras la vista se recrea en un horizonte ilimitado de verdura, llena de encantos y de promesas.

Pues como en lo material, mucho más en lo espiritual. Las fuerzas latentes del católico pueblo del Salvador, eliminados resueltamente los impedimentos por todos reconocidos, especialmente en el campo de la enseñanza, deben resurgir pujantes y acudir benéficas a todos los centros vitales de la nación, preparada ya para esta ascensión moral, cultural y espiritual, sin que de tal resurgimiento tenga nada que recelar ninguna prudente administración, antes bien, mucho que esperar.

En la seguridad, Señor Embajador, de que su misión, hoy tan felizmente comenzada, ha de conseguir, para interés común y en la dirección por Nós indicada, explanar el camino hacia resultados cada vez más altos, enviamos a todos Nuestros amadísimos hijos de su magnífico país, a Nós unidos con el vínculo de la fe, la Bendición Apostólica.

NUNTIUS RADIOPHONICUS

DE CONSCIENTIA CHRISTIANA IN IUVENIBUS RECTE EFFORMANDA *

La famiglia è la culla della nascita e dello sviluppo di una nuova vita, la quale, affinchè non perisca, ha bisogno di essere curata ed educata: diritto, questo, e dovere fondamentale dato e imposto immediatamente da Dio ai genitori. Contenuto e scopo della educazione nell'ordine naturale è lo sviluppo del bambino per divenire un uomo completo:

* Datus die 23 Martii mensis a. 1952.

contenuto e scopo della educazione cristiana è la formazione del nuovo essere umano, rinato nel battesimo, a perfetto cristiano. Tale obbligo, che fu sempre costume e vanto delle famiglie cristiane, è solennemente sancito dal canone 1113 del Codice di diritto canonico, che suona così: « *Parentes gravissima obligatione tenentur prolis educationem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem pro viribus curandi, et etiam temporali eorum bono providendi* ». « I genitori hanno il gravissimo obbligo di curare con tutte le loro forze l'educazione, così religiosa e morale, come fisica e civile, dei loro figli, e di provvedere anche al loro benessere temporale ».

Le questioni più urgenti di così vasto argomento sono state chiarite in diverse occasioni dai Nostri Predecessori e da Noi stessi. Pertanto Ci proponiamo ora non di ripetere quel che è già stato ampiamente esposto, ma piuttosto di richiamare l'attenzione sopra un elemento, che, pur essendo la base e il fulcro della educazione, specialmente cristiana, sembra invece ad alcuni, a prima vista, quasi estraneo ad essa. Vorremmo cioè parlare di ciò che vi è di più profondo ed intrinseco nell'uomo: la sua coscienza. Vi siamo indotti dal fatto che alcune correnti del pensiero moderno cominciano ad alterarne il concetto e ad impugnarne il valore. Tratteremo dunque della coscienza in quanto oggetto della educazione.

La coscienza è come il nucleo più intimo e segreto dell'uomo. Là egli si rifugia con le sue facoltà spirituali in assoluta solitudine: solo con se stesso, o meglio, solo con Dio — della cui voce la coscienza risuona — e con se stesso. Là egli si determina per il bene o per il male; là egli sceglie fra la strada della vittoria e quella della disfatta. Quando anche volesse, l'uomo non riuscirebbe mai a togliersela di dosso; con essa, o che approvi o che condanni, percorrerà tutto il cammino della vita, ed egualmente con essa, testimone veritiero ed incorruttibile, si presenterà al giudizio di Dio. La coscienza è quindi, per dirla con una immagine tanto antica quanto degna, un ἄδυτον un santuario, sulla cui soglia tutti debbono arrestarsi; anche, se si tratta di un fanciullo, il padre e la madre. Solo il sacerdote vi entra come curatore di anime e come ministro del Sacramento della penitenza; nè per questo la coscienza cessa di essere un geloso santuario, di cui Dio stesso vuole custodita la segretezza col sigillo del più sacro silenzio.

In che senso dunque si può parlare della educazione della coscienza?

Essenza della coscienza cristiana.

Occorre rifarsi ad alcuni concetti fondamentali della dottrina cattolica per ben comprendere che la coscienza può e deve essere educata.

Il divin Salvatore ha arrecato all'uomo ignaro e debole la sua verità e la sua grazia: la verità per indicargli la via che conduce alla sua meta; la grazia per conferirgli la forza di poterla raggiungere.

Percorrere quel cammino significa, nella pratica, accettare il volere e i comandamenti di Cristo, e conformare ad essi la vita, cioè i singoli atti, interni ed esterni, che la libera volontà umana sceglie e fissa. Ora qual è la facoltà spirituale, che nei casi particolari addita alla volontà medesima, affinchè scelga e determini, gli atti che sono conformi al volere divino, se non la coscienza? Essa è dunque eco fedele, nitido riflesso della norma divina delle umane azioni. Sicchè le espressioni, quale « il giudizio della coscienza cristiana », o l'altra « giudicare secondo la coscienza cristiana », hanno questo significato: la norma della decisione ultima e personale per un'azione morale va presa dalla parola e dalla volontà di Cristo. Egli è infatti via, verità e vita, non solo per tutti gli uomini presi insieme, ma per ogni singolo: [1] è tale per l'uomo maturo, è tale per il fanciullo ed il giovane.

Da ciò consegue che formare la coscienza cristiana di un fanciullo o di un giovane consiste innanzi tutto nell'illuminare la loro mente circa la volontà di Cristo, la sua legge, la sua via, e inoltre nell'agire sul loro animo, per quanto ciò può farsi dal di fuori, affine di indurlo alla libera e costante esecuzione del divino volere. È questo il più alto impegno della educazione.

Presupposti e fonti della educazione della coscienza.

Ma dove troveranno l'educatore e l'educando, in concreto e con facilità e certezza, la legge morale cristiana? Nella legge del Creatore impressa nel cuore di ciascuno,[2] e nella rivelazione, nel complesso, cioè, delle verità e dei precetti, insegnati dal divino Maestro. Ambedue, sia la legge scritta nel cuore, ossia la legge naturale, sia le verità e i precetti della rivelazione soprannaturale, il Redentore Gesù ha rimesso, come tesoro morale della umanità, nelle mani della sua Chiesa, affinchè essa le predichi a tutte le creature, le illustri e le trasmetta, intatte e difese da ogni contaminazione ed errore, dall'una all'altra generazione.

[1] Cfr. Io. 14, 6.

[2] Cfr. *Rom.* 2, 14-16.

Errori nella formazione e nella educazione della coscienza cristiana. – Pretesa revisione delle norme morali.

Contro questa dottrina, incontrastata per lunghi secoli, emergono ora difficoltà ed obiezioni che occorre chiarire.

Come della dottrina dommatica, così anche dell'ordinamento morale cattolico si vorrebbe istituire quasi una radicale revisione per dedurne una nuova valutazione.

Il passo primario, o per dir meglio il primo colpo all'edificio delle norme morali cristiane, dovrebbe essere quello di svincolarle — come si pretende — dalla sorveglianza angusta ed opprimente dell'autorità della Chiesa, cosicchè, liberata dalle sottigliezze sofistiche del metodo casuistico, la morale sia ricondotta alla sua forma originaria e rimessa semplicemente alla intelligenza e alla determinazione della coscienza individuale.

Ognuno vede a quali funeste conseguenze condurrebbe un tale sconvolgimento dei fondamenti stessi della educazione.

Omettendo di rilevare la manifesta imperizia e immaturità di giudizio di chi sostiene simili opinioni, gioverà mettere in evidenza il vizio centrale di questa « nuova morale ». Essa, nel rimettere ogni criterio etico alla coscienza individuale, chiusa gelosamente in sè e resa arbitra assoluta delle sue determinazioni, ben lungi dall'agevolarle il cammino, la distoglierebbe dalla via maestra che è Cristo.

Il divin Redentore ha consegnato la sua Rivelazione, di cui fanno parte essenziale gli obblighi morali, non già ai singoli uomini, ma alla sua Chiesa, cui ha dato la missione di condurli ad abbracciare fedelmente quel sacro deposito.

Parimente la divina assistenza, ordinata a preservare la Rivelazione da errori e da deformazioni, è stata promessa alla Chiesa, e non agli individui. Sapiente provvidenza anche questa, poichè la Chiesa, organismo vivente, può così, con sicurezza ed agilità, sia illuminare ed approfondire le verità anche morali, sia applicarle, mantenendone intatta la sostanza, alle condizioni variabili dei luoghi e dei tempi. Si pensi, per esempio, alla dottrina sociale della Chiesa, che, sorta per rispondere a nuovi bisogni, non è in fondo che l'applicazione della perenne morale cristiana alle presenti circostanze economiche e sociali.

Come è dunque possibile di conciliare la provvida disposizione del Salvatore, che commise alla Chiesa la tutela del patrimonio morale cristiano, con una sorta di autonomia individualistica della coscienza?

Questa, sottratta al suo clima naturale, non può produrre che venefici frutti, i quali si riconosceranno al solo paragonarli con alcune caratteristiche della tradizionale condotta e perfezione cristiana, la cui eccellenza è provata dalle incomparabili opere dei Santi.

La « morale nuova » afferma che la Chiesa, anzi che fomentare la legge della umana libertà e dell'amore, e d'insistervi quale degna dinamica della vita morale, fa invece leva, quasi esclusivamente e con eccessiva rigidità, sulla fermezza e la intransigenza delle leggi morali cristiane, ricorrendo spesso a quei « siete obbligati », « non è lecito », che hanno troppo sapore di un'avviliente pedanteria.

I precetti morali della Chiesa per la educazione della coscienza nella vita personale...

Ora invece la Chiesa vuole — e lo mette in luce espressamente quando si tratta di formare le coscienze — che il cristiano venga introdotto nelle infinite ricchezze della fede e della grazia, in modo persuasivo, così da sentirsi inclinato a penetrarle profondamente.

La Chiesa però non può ritrarsi dall'ammonire i fedeli che queste ricchezze non possono essere acquistate e conservate se non a prezzo di precisi obblighi morali. Una diversa condotta finirebbe col far dimenticare un principio dominante, sul quale ha sempre insistito Gesù, suo Signore e Maestro. Egli infatti ha insegnato che per entrare nel regno dei cieli non basta dire « Signore, Signore », ma deve farsi la volontà del Padre celeste.[3] Egli ha parlato della « porta stretta » e della « angusta via » che conduce alla vita,[4] ed ha aggiunto: « Sforzatevi di entrare per la porta stretta, perchè molti, vi dico, cercheranno di entrare e non vi riusciranno ».[5] Egli ha posto come pietra di paragone e segno distintivo dell'amore verso Sé stesso, Cristo, l'osservanza dei comandamenti.[6] Similmente al giovane ricco, che lo interroga, Egli dice: « Se vuoi entrare nella vita, osserva i comandamenti » e alla nuova domanda « Quali? » risponde: « Non uccidere! non commettere adulterio! non rubare! non fare testimonianza falsa! onora il padre e la madre! e ama il prossimo tuo come te stesso! ». Egli ha messo come condizione a chi vuole imitarlo, di rinunziare a se stesso e di prendere ogni giorno la sua croce.[7] Egli esige che l'uomo sia pronto a lasciare per Lui e per

[3] Cfr. Matth. 7, 21.
[4] Cfr. Matth. 7, 13-14.
[5] Luc. 13, 24.
[6] Io. 14, 21. 24.
[7] Cfr. Luc. 9, 23.

la sua causa quanto ha di più caro, come il padre, la madre, i propri figli, e fin l'ultimo bene, la propria vita.[8] Poichè Egli soggiunge: « A voi dico, amici miei: non temete quei che uccidono il corpo, e dopo tanto non possono fare di più. Vi mostrerò io chi dovete temere: temete Colui, che, dopo tolta la vita, ha il potere di mandare all'inferno ».[9]

Così parlava Gesù Cristo, il divino Pedagogo, che sa certamente, meglio degli uomini, penetrare nelle anime e attrarle al suo amore con le infinite perfezioni del suo Cuore, *bonitate et amore plenum*.[10]

E l'Apostolo delle genti S. Paolo ha forse predicato altrimenti? Col suo veemente accento di persuasione, svelando l'arcano fascino del mondo soprannaturale, egli ha dispiegato la grandezza e lo splendore della fede cristiana, le ricchezze, la potenza, la benedizione, la felicità in essa racchiuse, offrendole alle anime come degno oggetto della libertà del cristiano e meta irresistibile di puri slanci d'amore. Ma non è men vero che sono altrettanto suoi gli ammonimenti come questo: « Operate con timore e tremore la vostra salute »,[11] e che dalla medesima sua penna sono scaturiti alti precetti morali, destinati a tutti i fedeli, siano essi di comune intelligenza, ovvero anime di elevata sensibilità. Prendendo dunque come stretta norma le parole di Cristo e dell'Apostolo, non si dovrebbe forse dire che la Chiesa di oggi è inclinata piuttosto alla condiscendenza che alla severità? Di guisa che l'accusa di durezza opprimente, dalla « nuova morale » mossa contro la Chiesa, in realtà va a colpire in primo luogo la stessa adorabile Persona di Cristo.

Consapevoli pertanto del diritto e del dovere della Sede Apostolica d'intervenire, quando bisogni, autorevolmente nelle questioni morali, Noi nel discorso del 29 ottobre del passato anno Ci proponemmo d'illuminare le coscienze intorno ai problemi della vita coniugale. Con la medesima autorità dichiariamo oggi agli educatori e alla stessa gioventù: il comandamento divino della purezza dell'anima e del corpo vale senza diminuzione anche per la gioventù odierna. Anch'essa ha l'obbligo morale e, con l'aiuto della grazia, la possibilità di conservarsi pura. Respingiamo quindi come erronea l'affermazione di coloro, che considerano inevitabili le cadute negli anni della pubertà, le quali così non meriterebbero che se ne faccia gran caso, quasi che non siano colpa grave, perchè ordinariamente, essi aggiungono, la passione toglie la libertà necessaria, affinchè un atto sia moralmente imputabile.

[8] Cfr. MATTH. 10, 37-39.
[9] LUC. 12, 4-5.
[10] Lit. de sacr. Corde Iesu.
[11] *Phil.* 2, 12.

Al contrario, è norma doverosa e saggia che l'educatore, pur non trascurando di rappresentare ai giovani i nobili pregi della purezza, in guisa da avvincerli ad amarla e desiderarla per se stessa, inculchino tuttavia chiaramente il comandamento come tale, in tutta la sua gravità e serietà di ordinazione divina. Egli così spronerà i giovani ad evitare le occasioni prossime, li conforterà nella lotta, di cui non nasconderà loro la durezza, li indurrà ad abbracciare coraggiosamente quei sacrifici che la virtù esige, e li esorterà a perseverare e a non cadere nel pericolo di deporre le armi fin dal principio e di soccombere senza resistenza alle perverse abitudini.

... e nella vita pubblica.

Anche più che nel campo della condotta privata, vi sono oggi molti che vorrebbero escludere il dominio della legge morale dalla vita pubblica, economica e sociale, dall'azione dei pubblici poteri nell'interno e all'esterno, nella pace e nella guerra, come se qui Dio non avesse nulla da dire, almeno di definitivo.

L'emancipazione delle attività umane esterne, come le scienze, la politica, l'arte, dalla morale, viene talora motivata in sede filosofica dall'autonomia che ad esse compete, nel loro campo, di governarsi esclusivamente secondo leggi proprie, benchè si ammetta che queste collimano d'ordinario con quelle morali. E si reca ad esempio l'arte, alla quale si nega non solo ogni dipendenza, ma anche ogni rapporto con la morale, dicendo : l'arte è solo arte, e non morale nè altra cosa, da reggersi quindi con le sole leggi della estetica, le quali peraltro, se sono veramente tali, non si piegheranno a servire la concupiscenza. In simile maniera si discorre della politica e della economia, che non hanno bisogno di prendere consiglio da altre scienze, e quindi dall'etica, ma, guidate dalle loro vere leggi, sono per ciò stesso buone e giuste.

È, come si vede, un sottile modo di sottrarre le coscienze all'imperio delle leggi morali. In verità, non si può negare che tali autonomie siano giuste, in quanto esprimono il metodo proprio di ciascuna attività e i confini che separano le loro diverse forme in sede teorica; ma la separazione di metodo non deve significare che lo scienziato, l'artista, il politico siano liberi da sollecitudini morali nell'esercizio delle loro attività, specialmente se queste hanno immediati riflessi nel campo etico, come l'arte, la politica, la economia. La separazione netta e teorica non ha senso nella vita, che è sempre una sintesi, poichè il soggetto unico di ogni specie di attività è lo stesso uomo, i cui atti liberi e coscienti non

possono sfuggire alla valutazione morale. Continuando a osservare il problema con sguardo ampio e pratico, che fa talora difetto a filosofi anche insigni, tali distinzioni ed autonomie sono volte dalla natura umana decaduta a rappresentare come leggi dell'arte, della politica o dell'economia ciò che invece riesce comodo alla concupiscenza, all'egoismo e alla cupidigia. Così l'autonomia teorica dalla morale diviene in pratica ribellione alla morale, e si spezza altresì quella armonia insita alle scienze e alle arti, che i filosofi di quella scuola acutamente riscontrano, ma dicono casuale, mentre è invece essenziale, se considerata dal soggetto, che è l'uomo, e dal suo Creatore, che è Dio.

Perciò i Nostri Predecessori e Noi stessi, nello scompiglio della guerra e nelle turbate vicende del dopoguerra, non abbiamo cessato d'insistere sul principio che l'ordine voluto da Dio abbraccia la vita intera, non esclusa la vita pubblica in ogni sua manifestazione, persuasi che in ciò non vi è alcuna restrizione della vera libertà umana, nè alcuna intromissione nella competenza dello Stato, ma una assicurazione contro errori ed abusi, dai quali la morale cristiana, se rettamente applicata, può proteggere. Queste verità debbono essere insegnate ai giovani e inculcate nelle loro coscienze da chi, nella famiglia o nella scuola, ha l'obbligo di attendere alla loro educazione, ponendo così il seme di un avvenire migliore.

Esortazione finale.

Ecco quanto intendevamo oggi di dirvi, diletti figli e figlie che Ci ascoltate, e nel dirvelo non abbiamo nascosto l'ansia che Ci stringe il cuore per questo formidabile problema, che tocca il presente e l'avvenire del mondo e l'eterno destino di tante anime. Quanto conforto Ci darebbe l'essere certi che voi condividete questa Nostra ansia per la cristiana educazione della gioventù! Educate le coscienze dei vostri fanciulli con tenace e perseverante cura. Educatele al timore, come all'amore di Dio. Educatele alla veracità. Ma siate veraci per primi voi stessi, e bandite dall'opera educativa quanto non è schietto nè vero. Imprimete nelle coscienze dei giovani il genuino concetto della libertà, della vera libertà, degna e propria di una creatura fatta ad immagine di Dio. È ben altra cosa che dissoluzione e sfrenatezza; è invece provata idoneità al bene; è quel risolversi da sè a volerlo e a compierlo; [12] è la padronanza sulle proprie facoltà, sugl'istinti, sugli avvenimenti. Educateli a pregare e

[12] Cfr. *Gal.* 5, 13.

ad attingere dalle fonti della Penitenza e della Ssma Eucaristia ciò che la natura non può dare: la forza di non cadere, la forza di risorgere. Sentano già da giovani che senza l'aiuto di queste energie soprannaturali essi non riuscirebbero ad essere nè buoni cristiani, nè semplicemente uomini onesti, cui sia retaggio un vivere sereno. Ma così preparati, potranno aspirare anche all'ottimo, potranno darsi cioè a quel grande impiego di sè, il cui adempimento sarà il loro vanto: attuare Cristo nella loro vita.

A conseguire questo scopo Noi esortiamo tutti i Nostri diletti figli e figlie della grande famiglia umana ad essere fra di loro strettamente uniti: uniti per la difesa della verità, per la diffusione del regno di Cristo sulla terra. Si bandisca ogni divisione, si rimuova ogni dissenso; si sacrifichi generosamente — costi quel che costi — a questo bene superiore, a questo supremo ideale, ogni veduta particolare, ogni preferenza soggettiva; « se mala cupidigia altro vi grida », la vostra coscienza cristiana vinca ogni prova, sicchè il nemico di Dio « tra voi di voi non rida ».[13] Il vigore della sana educazione si riveli nella sua fecondità in tutti i popoli, i quali tremano per l'avvenire della loro gioventù. Così il Signore riverserà su di voi e sulle vostre famiglie l'abbondanza delle sue grazie, in pegno delle quali v'impartiamo con paterno affetto l'Apostolica Benedizione.

[13] *Par.* 5, 79. 81.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa XII, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

die 6 Februarii 1952 — Cathedrali Ecclesiae S. Flori praefecit Revmum D. Franciscum Marty, Vicarium Generalem dioecesis Ruthenensis et Vabrensis.

die 4 Martii — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Preslavensi Exc. P. D. Mauritium Baudoux, hactenus Episcopum Sancti Pauli in Alberta, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Arcturi Béliveau, Archiepiscopi S. Bonifacii.

— Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Iosephi Eduardi McCarthy, Episcopi Portlandensis, nominat Exc. P. D. Danielem Feeney, Episcopum titularem Sitensem.

die 5 Martii — Cathedrali Ecclesiae Bacolodensi Exc. P. D. Emmanuelem Yap, hactenus Episcopum Capicensem.

— Cathedrali Ecclesiae Capicensi Revmum P. D. Iosephum Frondosa, Protonotarium Apostolicum ad instar et Vicarium Generalem archidioecesis Jarensis.

die 7 Martii — Titulari episcopali Ecclesiae Attudensi R. D. Guilelmum Escobar Vélez, archidioecesis Medellensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Aloisii Andrade Valderrama, Episcopi Antioquiensis.

die 11 Martii — Cathedrali Ecclesiae Cuernavacensi R. D. Sergium Méndez Arceo, directorem spiritus in seminario maiori archidioecesis Mexicanae.

die 18 Martii — Cathedrali Ecclesiae Carcassonensi Exc. P. D. Petrum Mariam Puech, hactenus Episcopum titularem Dolichenum.

die 19 Martii — Titulari episcopali Ecclesiae Vitensi R. D. Franciscum Orozco Lomelín, in seminario maiori archidioecesis Mexicanae pro-

fessorem, quem deputavt Auxiliarem Exc. P. D. Aloisii Martínez, Archiepiscopi Mexicani.

die 28 Martii — Archiepiscopali Ecclesiae Sanctae Severinae R. D. Ioannem Dadone, archipresbyterum et vicarium foraneum loci *Murazzano* in dioecesi Montis Regalis in Pedemonte.

— Titulari episcopali Ecclesiae Gunelensi R. P. D. Ioannem Iosephum Boardman, Antistitem Urbanum, parochum ecclesiae Sanctissimi Nominis Iesu dioecesis Brukliniensis et directorem dioecesanum Pontificii Operis a Propagatione Fidei.

SACRA CONGREGATIO DE SACRAMENTIS

I

DECRETUM

DE ASSIGNANDIS TRIBUNALIBUS PRO TRACTATIONE CAUSARUM NULLITATIS MATRIMONII INSULAE TERRAE NOVAE.

Per Decretum diei 28 Martii 1946 (in *Acta Apostolicae Sedis*, vol. XXXVIII, pp. 281 ss. relatum) Sacra Congregatio de Sacramentis, iussu Ssmi D. N. Pii Divina Providentia Papae XII, in Canadensi Ditione, pro tractatione causarum nullitatis matrimonii septem Tribunalia Provincialia primae instantiae et quatuor secundae instantiae instituit.

Cum vero die 1ª Aprilis anni 1949 Insula Terrae Novae ingressa sit in Confoederationem Canadensem, postulaverunt Archiepiscopus S. Ioannis Terrae Novae eiusque duo suffraganei Episcopi Portus Gratiae et Sancti Georgii Terrae Novae, ut causae nullitatis matrimonii suarum dioecesium tractarentur a Tribunali Provinciali Halifaxiensi, adeo ut circumscriptio dicti tribunalis Halifaxiensis constet in posterum non modo binis provinciis Halifaxiensi et Monctonensi, uti cavetur in supramemorato Decreto, sed etiam universo territorio Insulae Terrae Novae.

Cum autem uti tribunal secundae instantiae, pro causis in prima instantia coram Tribunali Provinciali Halifaxiensi pertractatis, agat Tribunal Quebecense, consequenter iidem Episcopi postularunt ut idem statuatur pro causis suarum dioecesium.

Quas preces, cum Sacra haec Congregatio de Disciplina Sacramentorum in Congressu diei 28 Iunii 1950 rite perpendisset, attento etiam voto Excmi Delegati Apostolici Ditionis Canadensis, easdem per infrascriptum Cardinalem Pro-Praefectum retulit Ssmo Domino Nostro Pio Divina Providentia Papae XII, in Audientia diei 7 Augusti 1950 eidem benigne concessa.

Sanctitas vero Sua, haec omnia quae sequuntur statuere dignatus est, decernens eadem exsecutioni mandanda, contrariis quibuslibet, licet speciali mentione dignis, minime obstantibus.

1) A die 15 Augusti a. 1950 causae nullitatis matrimonii archidioecesis Sancti Ioannis Terrae Novae et dioecesium Portus Gratiae et Sancti Georgii Terrae Novae tractabuntur in prima instantia coram Tribunali Provinciali Halifaxiensi, cuius proinde circumscriptio ex tunc constabit non modo binis provinciis Halifaxiensi et Monctonensi sed et universa Insula Terrae Novae.

2) Consequenter causae nullitatis matrimonii Insulae Terrae Novae in prima instantia pertractatae coram Tribunali Provinciali Halifaxiensi, in secunda instantia iudicandae deferentur ad Tribunal appellationis Quebecense, incolumi semper facultate directe provocandi ad S. Romanam Rotam iuxta can. 1559 § 1.

3) In reliquis plene serventur relate ad tres supramemoratas dioeceses omnia quae statuta sunt in praelaudato Decreto necnon in eius Normis exsecutivis diei 14 Maii 1946 (*A. A. S.*, XXXVIII, pp. 283 ss.).

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Disciplina Sacramentorum, die 7 Augusti anno Domini 1950.

B. Card. Aloisi Masella, *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

F. Bracci, *Secretarius*

II

DECRETUM

DE ASSIGNANDIS TRIBUNALIBUS PRO TRACTATIONE CAUSARUM NULLITATIS MATRIMONII NOVAE PROVINCIAE ECCLESIASTICAE SHERBROOKENSIS.

Per decretum diei 28 Ianuarii 1946 (in *Acta Apostolicae Sedis*, vol. XXXVIII, pp. 281 ss. relatum) Sacra Congregatio de Sacramentis, iussu Ssmi D. N. Pii Divina Providentia Papae XII, in Canadensi Ditione, pro tractatione causarum nullitatis matrimonii septem Tribunalia Provincialia primae instantiae et quatuor secundae instantiae instituit.

Cum vero per Const. Ap. « *Universi Dominici Gregis* », diei 2 Martii 1951 (*A. A. S.*, vol. XLIII, p. 449) nova erecta sit provincia ecclesiastica Sherbrookensis cum suffraganeis dioecesibus Sancti Iacynthi et Nicoletana, quarum matrimoniales causae hucusque pertractandae in prima instantia deferebantur ad Tribunal Marianopolitanum pro circumscriptionibus ecclesiasticis Sherkrookensi et Sancti Iacynthi, ad tribunal vero Quebecense pro circumscriptione ecclesiastica Nicoletana, postularunt Ordinarii praedicti:

1) ut Tribunal Marianopolitanum pro causis nullitatis matrimonii pertractandis constet binis provinciis ecclesiasticis Marianopolitana et Sherbrookensi;

2) ideoque causae nullitatis matrimonii dioecesis Nicoletanae, non amplius Tribunali Quebecensi, sed Tribunali Marianopolitano in prima instantia et Tribunali Ottaviensi in secunda instantia pertractandae ex nunc in posterum deferantur.

Quas preces, cum Sacra haec Congregatio de Disciplina Sacramentorum, in Congressu diei 14 Februarii c. a. 1952 rite perpendisset, attento etiam voto Excmi Delegati Apostolici Ditionis Canadensis, easdem per infrascriptum Cardinalem Pro-Praefectum retulit Ssmo Domino Nostro Pio Divina Providentia Papae XII, in Audientia diei 24 Martii 1952 eidem benigne concessa.

Sanctitas vero Sua, haec omnia quae sequuntur statuere dignata est, decernens eadem exsecutioni mandanda, contrariis quibuslibet, licet speciali mentione dignis, minime obstantibus:

1) A die 1 Iunii a. 1952 Tribunal matrimoniale Marianopolitanum inserviet pro binis provinciis ecclesiasticis Marianopolitana et Sherbrookensi, ideoque et pro causis nullitatis matrimonii Nicoletanae dioecesis, quae in posterum easdem causas non amplius ad tribunal Quebecense deferet, ut in prima instantia pertractentur.

2) In reliquis plene serventur quae statuta sunt in praelaudato Decreto necnon in eius exsecutivis Normis diei 14 Maii 1946.

3) Publicetur praesens Decretum, necnon praecedens diei 7 Augusti 1950 circa causas Insulae Terrae Novae, in *Acta Apostolicae Sedis*.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Disciplina Sacramentorum, die 25 Martii anno Domini 1952.

B. Card. Aloisi Masella, *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

F. Bracci, *Secretarius*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I

DECRETUM

VICARIATUUM APOSTOLICORUM ZAMORENSIS, DE MENDEZ AC NAPENSIS ET PRAEFECTURARUM APOSTOLICARUM DE CANELOS AC S. MICHAËLIS DE SUCUMBIOS FINES STATUUNTUR.

Cum per conventionem inter Respublicas Aequatoriam et Peruviam, die 29 Ianuarii anno 1942 initam in urbe S. Sebastiani Fluminis Ianuarii (vulgo Rio de Janeiro) et ex anno 1950 ratam, nova inter utramque Rempublicam limitum definitio acceptata esset, haec Sacra Congregatio de Propaganda Fide opportunum ducebat etiam quarundam Missionum in regionibus orientalibus Aequatoriae sitarum fines hodiernis politicis limitibus adaptare, factis simul quibusdam correctionibus finium ipsorum territoriorum missionalium.

Itaque Emi ac Revmi Patres Cardinales huic Sacro Consilio Christiano Nomini Propagando praepositi, in plenariis comitiis die IX mensis Aprilis vertentis anni habitis, attento voto Excmi D. Ephraem Forni, Archiepiscopi tit. Darnitani et Apostolici in Aequatoria Nuntii, habito etiam assensu, quorum interest, Ordinariorum, sic ut sequitur, Missionum, de quibus infra, fines determinandos esse censuerunt.

I. Vicariatus Apostolicus Zamorensis *ad septentrionem versus* terminatur linea, quae, ducta ab Andibus orientalibus divortium aquarum sequitur fluminis Cuyes, postea divortium aquarum fluminis Bomboiza ex una parte et fluminis Chuchumbleza ex altera usque ad huius confluentiam cum flumine Zamora, et hoc persequitur usque ad eum locum ubi influit in flumen Santiago, cuius deinde cursum tenet usque ad limitem Peruviae; *ad occidentem versus* Vicariatus Zamorensis clauditur Andibus et ea linea, quae provinciam civilem Santiago-Zamora ab occidentalibus provinciis Loja et Azuay dividit, qua parte Vicariatus Zamorensis contiguus est dioecesibus Aequatoriae Lojanae et Conchensi; *ad orientem et meridiem* Vicariatum Apostolicum Zamorensem terminat novus ille limes inter Aequatoriam et Peruviam statutus.

II. Vicariatus Apostolici de Mendez ac Gualaquiza, qui in posterum Vicariatus Apostolicus de Mendez vocabitur, hi sunt fines: *ad septentrionem* linea, quae, progressa a monte Altar, cursum tenet fluminis Pa-

lora usque ad affluentiam fluminis Pastaza, secuta hoc flumen, *ad orientem* terminat Vicariatum de Mendez usque ad limitem Peruviae, illinc linea eadem, inclinata versus Meridiem, statutum limitem servat duarum inter se Rerumpublicarum Aequatoriae et Peruviae, et *ad meridiem* transit in lineam terminantem Vicariatum Zamorensem, procedentem, ut dictum est, ab orientalibus Andibus per divortium fluminis Cuyes, et postea per divortium aquarum fluminis Bomboiza ex una parte et fluminis Chuchumbleza ex altera, per flumina Zamora et Santiago usque ad ingressum huius fluminis Santiago in Peruvianum; *ad occidentem versus* Vicariatus de Mendez finitur illis montibus quos « Cordillera Oriental de los Andes » vulgo nominant, limite separante provincias civiles occidentales de Azuay, Cañar et Chimborazo ab orientali de Santiago-Zamora provincia; et ex hac parte Vicariatus Apostolicus de Mendez contingit dioeceses Cochensem et Bolivarensem.

III. Praefectura Apostolica de Canelos *ad septentrionem* clauditur territorio Vicariatus Apostolici Napensis, id est linea, quae, sumpto initio a loco cui « Cerro Hermoso » nomen, sito in montibus « Cordillera Oriental », sequitur divergium aquarum, ex una parte in flumen Napo defluentium, ex altera parte flumina Pastaza et Bobonaza alentium, sic, ut tota vallis fluminis Napo totumque fluviale systema eius ad Vicariatum Apostolicum pertineant, decurrit dicta linea per flumen Curaray, dum hoc Peruviam tangit, ripa dextera eius fluminis pertinente ad Praefecturam Apostolicam de Canelos, partes a sinistris eiusdem sitae Vicariatus Apostolici Napensis sint; *ad orientem* Praefecturam de Canelos finit novus limes inter Aequatoriam et Peruviam, illa conventione descriptus; eam partem Praefecturae de Canelos, quae vergit *in orientem simul et meridiem*, illam terminat flumen Pastaza usque ad confinium Peruviae; *meridianus* denique *finis* Praefecturae de Canelos est flumen Palora ab eius ex Andibus scaturiginibus usque ad suam confluentiam cum flumine Pastaza.

IV. Vicariatus Apostolicus Napensis sic limitatur: *ad septentrionem* linea ducta per alveum fluminis Guepi a confinio Peruviae usque ad eius originem; illinc prosequitur divergium aquarum fluminis Aguarico et affluentium illi e dextris aquarum usque ad scaturigines fluminis Conejo, vel ad circulum meridianum 77°; ex eo loco linea finiens Vicariatum Napensem descendit eundem circulum meridianum usque ad locum ubi circulum aequatorialem (0°) secat, quem subsequitur usque ad locum cui Cerro Lumbaqui nomen, unde, cum modica flexione versus septentrionem sequitur divortium aquarum usque ad iuga montana quae

« Grande Cordillera de los Andes » vocantur, ad illud punctum, ubi inter se tangunt provinciae civiles Pichincа et Imbabura; *ad orientem* Vicariatum Napensem terminat limes Aequatoriam a Peruvia dividens, a confluentia fluminis Cononaco cum flumine Curaray usque ad flumen Napo et ab hoc flumine usque ad flumen Guepi; *ad meridiem* circumscribitur finibus septentrionalibus Praefecturae Apostolicae de Canelos, qui supra sunt relati; *ad occidentem* montibus quos dicunt « Cordillera de los Andes ».

V. Praefectura Apostolica S. Michaëlis de Sucumbios *versus septentrionem* et *versus dimidium orientem* continetur finibus Reipublicae Columbianae, secundum limitem politicum eandem Rempublicam ab Aequatoria separantem: *ad orientem* absolvitur limite illo novo statuto inter Peruviam et Aequatoriam; *ad occidentem* eam Praefecturam claudunt iuga montana Andium; *ad meridiem* fines boreales Vicariatus Apostolici Napensis, uti dictum est.

Eminentissimorum Patrum sententiam, Ssmo Domino Nostro Pio Prov. Div. Papae XII in Audientia diei XII eiusdem mensis et anni ab infrascripto huius Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretario relatam, Ipse Summus Pontifex in omnibus approbavit, ratamque habuit, et hoc ad rem Decretum in vulgus edi mandavit.

Datum Romae, ex Aedibus eiusdem S. Congregationis de Propaganda Fide, die XII mensis Aprilis anno Domini 1951.

P. Card. FUMASONI BIONDI, *Praefectus*

L. ✠ S.

† C. Costantini, Archiep. tit. Theodos., *a Secretis*

II

DE KENGTUNG - DE TOUNGOO

DISMEMBRATIONIS ET UNIONIS VICARIATUUM APOSTOLICORUM

Excmus P. D. Alaphridus Lanfranconi, Episcopus titularis Zertensis et Vicarius Apostolicus de Toungoo, expostulavit ut illud Vicariatus Apostolici de Kengtung territorium, quod ad meridiem vigesimi circuli paralleli iacet, distraheretur ab eodem Vicariatu de Kengtung et una cum territorio contiguo ad Statum de Kayah pertinenti et incluso inter flumen Salwen ac fines Regni Thailandiae nullique usque adhuc ecclesiasticae iurisdictioni obnoxio, uniretur ad Vicariatum Apostolicum de Toungoo.

Quas preces Ssmo Domino Nostro Pio Div. Prov. Papae XII in Audientia diei 14 Februarii currentis anni ab infrascripto huius Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretario relatas, Ipsa Sanctitas Sua benigne excipiens, attento consensu Exc. P. D. Ferdinandi Guercilena, Episcopi titularis Hadrianiensi et Vicarii Apostolici de Kengtung, nec non favorabili voto Exc. P. D. Leonis Petri Kierkels, Archiepiscopi titularis Salaminensis et in Indica Republica Apostolici Internuntii, dicta territoria, ut supra descripta, ad Vicariatum Apostolicum de Toungoo unire dignata est atque ad rem Decretum ac publici iuris fieri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 14 mensis Februarii a. D. 1952.

P. Card. Fumasoni Biondi, *Praefectus*

L. ✠ S.

✝ C. Costantini, Archiep. tit. Theodos., *a Secretis*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

TARVISIN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI MARIAE BERTILLAE BOSCARDIN, INSTITUTI SORORUM MAGISTRARUM A S. DOROTHEA, FILIARUM SACRORUM CORDIUM.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet, in casu et ad effectum de quo agitur

Tam grata est Domino visitatio et a fortiori cura infirmorum, ut ipse dignatus sit asseverare: *Quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis mihi fecistis* (Mt. 25, 48). Dei amore impulsa Venerabilis Maria Bertilla Boscardin, toto animi studio infirmorum curam suscepit, quam tam plene cumulateque perficiebat, ut non solum a medicis ceterisque nosocomio addictis summas laudes sibi comparaverit, sed, quod maximum est, hoc munere fungens, heroicis virtutibus reniduerit uti ab hac Sacra Congregatione per decretum diei 31 Iulii a. 1949 edictum est, quod ab ipso Deo est confirmatum per miracula, quae dignatus est, ea interce-

dente, operari. Duo enim ex pluribus quae, ut fertur, adesse videntur, ab actoribus afferuntur ad Beatificationem obtinendam, quae hic referuntur.

I. Sebastianus Fasan, oppidanus S. Martini « di Lupari » in Tarvisina Dioecesi, anno 1925, in palato acri dolore cruciari coepit. Tres medici, qui diagnosim osteosarcomatis saltem suspicati sunt, opportunas curas, chirurgicas quoque, adhibuere, ast incassum. Demum die 26 Novembris a nosocomio fuit dimissus uti insanabilis ac brevi moriturus. Tum Soror infirmaria eum eiusque filium impulit novendiales preces effundere, ut per intercessionem Sororis Bertillae miraculum a Deo obtinerent.

Eodem pervesperi hae preces inceptae sunt a domesticis amicisque: Sebastianus, cum loquelae esset impos, magna cum spe mente orabat.

His precibus persolutis, omnia morbi symptomata illico dispulsa sunt; Sebastianus perfectam sanitatem recuperavit, uti omnes testes deponunt.

II. Octorinus Grigolato, in oppidulo vulgo Piana di Valdagno intra Vicentinae dioecesis fines, natus, meningitico morbo, die 5 Maii anno 1923, fuit attactus, uti tres medentes a cura, officiales periti, medicumque Collegium asseverant. Qui morbus adeo invaluit, ut infirmo die 14 Maii collata fuerit Extrema Unctio, omni sanationis spe medentium iudicio amissa. Venerabilis Bertillae auxilio implorato, morbi symptomata in morali instanti evanescunt: Octorinus revirescit sanus. Unanimi consensu sanationem ultra naturae leges evenisse medicum Collegium agnovit: cui sententiae Patres Consultores atque Rmi Cardinales adhaeserunt.

De priori sanatione Apostolicus processus, de altera cum Informativus tum duplex Apostolicus in Tarvisina Curia peracti sunt, pro quorum iuridica vi Sacra haec Congregatio die 24 Aprilis a. 1942 decrevit.

Medicum Collegium diebus 27 Iunii a. 1950 et 27 Martii sequentis anni de his pertractavit: Rmi Cardinales cum Consultoribus in Praeparatoria et Nova Praeparatoria diebus 27 Februarii ac 17 Aprilis anno 1951 coacti sunt. Generalis demum Congregatio die 11 Decembris coram Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XII habita est, in qua Rmus Cardinalis Alexander Verde, causae Relator, dubium proposuit discutiendum: *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Rmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores suam quisque sententiam protulit; Beatissimus vero Pater suam mentem aperire distulit, ut preces effuderet ad divinum beneplacitum apertius cognoscendum.

Diem hunc selegit ad supremam sententiam edendam. Quare arcessitis ad Se Rmis Cardinalibus Relatore ac infrascripto Pro-Praefecto nec non R. P. Salvatore Natucci Fidei Generali Promotore, meque Secretario, sacratissima litata Hostia, edixit: *Constare de duobus miraculis, nimirum: instantanea ac perfecta sanatione cum Sebastiani Fasan ab osteoperiostite subacuta maxillae superioris sinistrae, tum Octorini Grigolato a meningite traumatica, Venerabili Maria Bertilla Boscardin intercedente.*

Hoc autem decretum rite promulgari ac in acta S. Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 13 Ianuarii 1952, Octava Epiphaniae Domini.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

II

ROMANA seu VITERBIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI ROSAE VENERINI, FUNDATRICIS MAGISTRARUM PIARUM QUAE AB EIUS COGNOMINE NUNCUPANTUR.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur

Maximi momenti est ac ponderis pusionum animos doctrina excolere eorumque mores ad pietatem et virtutes componere. Quae munia nativo iure ad genitores pertinent, horum autem vice officium est ludimagistrorum, quos, ut hoc prout oportet fungantur, non modo scientia, ratione ac via docendi et instituendi, sed et praecipue virtutibus pollere necesse est. Quare summi in hoc exercendo munere sunt qui vitae sanctitate refulgent. Quia ut scribit Chrysostomus « Hoc magistri optimi est officium suo exemplo docere quod praecipit » (hom. 20 sup. I Cor.). Nec hos inter desunt, qui incomparabili honestentur gloria alumnos habendi, qui idem obeuntes munus atque eorum vestigia persequentes, ad christianae perfectionis apicem pervenerint.

Mirabile ac stupendum Venerabilis Rosa Venerini nobis exhibet exemplum, cuius heroicas virtutes Tu, Beatissime Pater, die 6 Martii anni 1949 approbasti. Haec enim, Piarum Magistrarum Mater, suavis-

